

Iamur dum idem bonum consequi cupimus, non tamen ei  
qui bonum illud possidet, invidemus. Et de hoc dicit *Apo-*  
*stolus* noster ad *Galatas*, καλὸν τὸ ζηλοῦν ἐν καλῷ πάντοτε.

Et hanc æmulationem ipsi in aliis excitare solemus,  
quod *Maro* testatur in *Andromache* de *Ascanio*

Ecquid in antiquam virtutem, animosq; viriles  
& pater *Aeneas* & avunculus excitat *Hector*?

Solent enim, quod scribit *Justinus* libro *XLII*do, æmu-  
lari claritatem parentum virtutis æmulatione accensi,  
dum sese iis bonis, quæ nondum habent, dignos esse autu-  
mant, præsertim ubi accesserint divitiæ, & amicitiæ cum  
viris in Magistratu constitutis, quumq; sentiunt ab aliis se  
iis, propter quæ dolent, bonis æstumari dignos. Hinc etiam  
proponimus æmulantibus eos, quibus adsunt fortitudo,  
sapientia & eruditio, dignitas & magistratus, ut ex quibus  
nanciscimur facultatem & facilitatem aliis opitulandi &  
de multis bene merendi: modò illa æmulatio non mu-  
tuet remedium à crudelitate, quâ *Valerius Maximus* *O-*  
*chum* *Artaxerxem* & *Athenienseis* reprehendit. Propo-  
nimus eos, quorum plurimi se esse similes exoptant, qui-  
bus multi familiares & amici esse gaudent, adeò ut

- - ingentem foribus domus alta superbis

manè salutantum totis vomat ædibus undam,

quosq; multisuspiciunt, aut saltem illi, quos nos suspicere  
quoq; solemus. Proponimus eos, quorum laudes atq; en-  
comia à Poëtis & scriptoribus aliis præmodum celebra-  
tur, ut *Achillem* laudatum *Homero*, *Thucydidem* *Herodo-*  
*to*. Quod si enim in communi posita est virtus, cur fortis-  
simo cuiq; viro non sit facile, quod facere quidem potuit  
*Achilles*? nec propterea *Herodotus* scripsit historias, ut  
inimitabile illud studium esset *Thucydidi*. Si quædam sint  
inimitabilia, aut infirmitas nature non sufficiet, aut diversi-  
tas repugnabit, quod est alicubi apud *Quintilianum*, cujus